

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7220

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Fontevraud-l'Abbaye, Notre-Dame de Fontevraud (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1177, août

Lieu d'émission : Winchester

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Remplacement des religieuses d'Ambresbury par des religieuses de l'ordre de Fontevraud.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DXXXIX, t. 2, p. 113-116.

Dissertation critique

« Août 1177 ou premiers jours d'avril 1179 » : sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 2, p. 113.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus et omnibus ministris et fidelibus suis Franciscis (sic) et Anglis totius terre sue, salutem.

Sciatis moniales de Ambresbyria circiter triginta propter vite turpitudinem et ordinis sui dissolutionem et infamiam que divulgabatur pupplice, mandato domini pape Alexandri, voluntate etiam mea, consilio quoque et providentia Ricardi Cantuariensis archiepiscopi, Apostolice Sedis legati, et Jocelini Saresberiensis et Bartholomei Exoniensis et Rogeri Wygorniensis et Gilberti Londoniensis et aliorum plurimorum episcoporum et magnatum et baronum meorum, a monasterio suo fuisse amotas, et in aliis monasteriis collocatas, et moniales de ordine Fontis Ebraudi ibidem ad serviendum Deo introductas. Quamobrem concedo et dono et presenti carta mea confirmo ordini et religioni Fontis Ebraldi, pro salute anime mee et religionis honestate, et pro salute anime regis H[enrici], avi mei, et patris et matris mee et antecessorum et heredum meorum, ecclesiam Sancte Marie et Sancti Melori de Ambresbiri, cum omnibus rebus que ad eam pertinent, tam in ecclesiasticis quam in mundanis possessionibus, ut ordo et instituta ecclesie Fontis Ebraldi ibidem perpetuo conserventur, et conventus monialium multo major quam fuerat sub custodia priorisse secundum ordinem prefate ecclesie Deo famuletur. Hanc ecclesiam cum omnibus rebus que ad eam pertinent et omnes possessiones Fontis Ebraldi sciatis me velle manutenere et defendere et liberas et quietas esse ab omni seculari servicio et exactione et gravamine, et accepisse in manu mea et in defensione et in protectione contra omnes homines sicut meam propriam et antecessorum meorum elemosinam. Dono etiam

eisdem monialibus et concedo manerium meum de Wallop in Hantescira, cum omnibus pertinentiis suis que ad me pertinent et cum emendacione quam ibi facere poterunt, in perpetuam elemosinam, et omnes elemosinas et terras que eis rationabiliter date sunt vel erunt firmiter concedo, et in omni jure suo et possessione in omnibus locis omnes consuetudines sive in ecclesiasticis sive in secularibus rebus tam libere, quiete et plenarie, sicut ego haberem si essent in dominico meo. Dono etiam eis et confirmo monasterium de Ambresbiri et parochia[m] cum omnibus decimis et terris eidem adjacentibus, scilicet capellam de Durentona cum omnibus decimis, et decimam de Forstesbyria et de Wadehella et de Tudeworda Johannis Marescalli et de Tudeworda Hugonis de Lacy, et undecim acras bladi et undecim agnos de Niwetona Umfridi de Bohum, et quinque solidos annuatim pro cimiterio habendo in capella ejusdem ville, et manerium de Bultesforda cum Hinedurintona, cum omnibus pertinentiis suis, et capellam cum decimis adjacentibus, et manerium de Boscumba, membrum de Bultesford, quod adjacet predictae ecclesie, cum decima de dominio que adjacet capelle de Bulteford, et manerium de Maydenwinterburne cum ecclesia et dimidia hyda terre cum decimis adjacentibus ; et manerium de Alletona cum decima de dominio et medietate decime rusticorum ; et manerium de Chelestanestona cum decima ejusdem manerii ; et manerium de Northwinterburna quod adjacet predictae ecclesie ; et manerium de Kennetebyri cum ecclesia et omnibus decimis totius manerii ; et capellam de Deneforda cum omnibus decimis ; et decimam de Ingafloa et Godingefloa cum omni jure parochiali ; et decimam de Hamstede cum omni jure parochiali, que adjacet matri ecclesie de Kennetebyri ; et manerium de Chaulea, et manerium de Falelea cum ecclesia ejusdem manerii ; et decimam de Suthfalelea que adjacet matri ecclesie, et decimam de Roclea de dominio Templariorum ; et ecclesiam de Ledecumba cum decimis et omnibus eidem ecclesie pertinentibus ; et de redditu nemoris de Berrochia XX. solidos, et decimam pasnagii tam denariorum quam porcorum, et quot porcos ibi habere voluerint quietos de pasnagio, et centum porcos in Cett., quietos de pasnagio, et totidem similiter quietos in Bentelleswod ; et quatuor acras in Bescumba, duas scilicet de mangcorn et duas de avena, et quatuor agnos ; et in Rotheffen quinque acras bladi, et in Briggemareston duas acras, et in Cheldrington tres acras, et in Aldintona quatuor acras, et in Wyveleforde duas acras, et in Mildestona unam acram, et in Niwetona Johannis de Nevill unam acram et unum agnum ; et decimam de Brimelham, et in Dauntesa tres solidos, et in Deverel Puellarum quinque caseos et quinque agnos ; et in Hinedurnetona decimam de quinque virgatis terre, quam Robertus capellanus tenebat ; et omnes alias terras et elemosinas quas habent vel habiture sunt ; et quinque caretas errantes singulis diebus ad ligna deferenda ad predictum monasterium de Ambresberia, unam scilicet carrettam in bosco de Cett., et unam in Graveling, et unam in Wintereslawe, que pertinent ad Bercamstede, et unam in Bentelwoda, quam predictum monasterium de Ambresburia antiquitus habebat, et unam in bosco suo de Wallop, quod appellatur Boscum Regine. Quare volo et firmiter precipio quod predictae moniales et earum ministri et servientes omnes possessiones suas et elemosinas habeant et teneant, cum socha et sacha et teol et theam et infangenethef et utfangenethef, et cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus et quietanciis suis, in bosco et plano, in pratis et pasturis, in aquis et molendinis, in viis et semitis, in stagnis et vivariis, in mariscis et piscariis, in grangiis et virgultis, infra burgum et extra, in omnibus locis et in omnibus rebus, solutas, liberas et quietas de schiris et hundredis, placitis et querelis, murdris et latrociniis, et de hamsoca et forstal, de wapentachiis et socagiis et hidagiis, geldis et denegeldis, horngeldis, fotgeldis et de essartis factis ante carte hujus confirmationem, anno scilicet Incarnationis Domini M° C ° septuagesimo nono, et de assisis et donis et scothis et auxiliis et operationibus castellorum, domorum, wallorum, parcorum, vivariorum, pontium, fossorum (sic) et de ferdwyta et de hengwyta et flemmannisfritia et summagio et warpeny et averpeny et tethinpeny et hundredpeny et meskening et de blodwyta et fitewyta. Et sint in perpetuum quiete per totam terram meam citra mare et ultra mare, tam per terram quam per aquam, de thelonio et passagio, pontagio, tallagio, lestagio, stallagio, et de omni consuetudine, et de omnibus occasionibus que sunt vel esse possunt, et generaliter de omnibus rebus in omnibus modis que ad me vel ad heredes et successores meos pertinent vel pertinere possunt, excepta sola justicia mortis et membrorum. Prohibeo etiam, regia auctoritate a Deo mihi concessa, ne aliquis hominum, sive minister meus sive alius, in tota terra mea prefato monasterio vel ullis rebus ad ipsum pertinentibus molestiam sive injuriam vel contemuliam inferat, nec res vel jura sua nec nativos vel fugitivos suos vel catalla eorum detineat, nec homines venientes ad molendina sua ullo modo impediatur, nec eas vel homines earum pro consuetudine aliqua vel servicio aut exactione vel pro aliqua causa disturbet de rebus suis, quas homines earum poterunt affidare suas esse proprias, nec de aliqua possessione sua in placitum ponantur nisi in presentia mea vel heredum meorum.

Testibus : Ricardo Cantuariensi archiepiscopo, Ricardo Wyntoniensi, Gaufrido Elyensi, Gilberto Londoniensi, Joscellino Saresberiensis, Bartholomeo Exoniensi, Rogero Wygornensi, Roberto Herefordensi, Johanne Norwycensi episcopis, magistro Waltero de Constancia, Ricardo thesaurario, Johanne Cumyn, comite Willelmo

de Mandeville, comite Willelmo Saresberie, Ricardo de Lucy, Rogero Bygot, Ranulpho de Glaunvill[e], Thoma Basseth, Folqueyo Paynel, Roberto de Brucurth, Stephano de Thorrón senescallo Andegavie, Roberto de Harecurt, Thoma Bard., Petro Filio Guydonis.
Apud Wyntoniam.